

4393

Q. D. B. F.  
HISTORIA CHIRURGICA RARIOR  
*De*  
**VENTOSITATE  
SPINÆ,**

*Quam*  
In Nosocomio Regii Prusorum Montis Majori  
observavit,

&  
cum adnexa

**ΕΞΗΓΗΣΕΙ,**

*CONSENTIENTE*

*GRATIOSISSIMO & AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE,*

*In*

Illustri Pregelana,

Sub umbra,

*VIRI Nobilissimi, Excellentissimi, atq; Experientissimi,*

**DNI. PETRI MÖLLERI,**

Phil. & Med. D. Chemiae atque Chirurgiae P.P. Extraordinarii  
longèque celeberrimi,

Dni Fautoris, Promotoris, Hospitis, ac Praeceptoris sui,  
ad cineres usque colendi,

Publicæ eruditorum Disquisitioni subjiciet,

**JOANNES - GEORGIUS Pötter /**

Lipstadio - Guestfalus, Med. & Chir. St.

Autor.

Addiem Martij, c<sup>lo</sup> l<sup>o</sup> LXXIII.

In Aegatnei majori

horis suetis.

Symb. Piè & Fideliter!

---

REGIOMONTI, Typis FRIDERICI REUSNERI.

---




hirurg.  
79, 27

DEO. TER. OPTIMO. MAXIMO.  
ET.  
SERENISSIMÆ. PRINCIPI. AC. DOMINÆ.  
**DN. HEDWIGI.**  
**SOPHIAE.**  
NATÆ.  
EX. AUGUSTISSIMA. ELECTORUM. BRANDENBURGENSIVM.  
PROSAPIA.  
IN. PRUSSIA. MAGDEBURGI. JULIÆ. CLIVIÆ. MONTENSIVM.  
SEDINENSIVM. POMERANORVM. ETC.  
DUCI.  
LANDGRAVIAE.  
HASSEIÆ.  
PRINCIPI.  
HALBERSTADII. MINDÆ. ET. HERSFELDIÆ.  
COMITI.  
CATTIMELIBOCI. DECIÆ. ZIGENHAINÆ. NIDDÆ.  
ET.  
SCHAUMBURGI. MARCÆ. ET. RAVENSBURGI.  
DOMINÆ.  
RAVENSTEINII.  
ETC. ETC. ETC.  
VIDUÆ. TUTRICI. AC. REGENTI.  
PRINCIPI. AC. DOMINÆ.  
SUÆ. LONGE. CLEMENTISSIMÆ.  
*HISTORIAM. HANC. CHIRURGICAM. RARIOREM.*  
D. D. D.  
SERVORVM. MINIMUS.  
AC.  
SUBJECTISSIMUS. ALUMNUS.  
JOANNES. GEORGIUS. POETTERUS.

Aus der  
Schloßbibliothek zu Oels  
1885

A <sup>et</sup> Ω.

# Historia Chirurgica rarior.



Dolescens quidam in Nosocomio Regii Prussorum Montis majori, XXII ætatis agens annum, nomine Michael Weger, habitusq; robusti, laborabat vastæ molis cœdemate, totam tibiam, parvumque pedem occupante c. ulcere partim putrescente, partim jam putrido, fœtidissimam, ipsique patienti, neminem aliis maximè odiosam mephitim eructante. Huic cum ex multorum à multis annis medicamentorum applicatione nil quicquam accederet juvaniinis, sed potius tacita malum in dies sumeret incrementa, inutilis sibi membra extirpationem à Chirurgis solicitavit quidem, sed frustra: Tandem tamen Chirurgus quidam Senior, sed non Collegiatus, anno M. DC. LXXI. eam maximè instituendam esse censuit. Cum vero nihil, suadente id officii ratione, absque consensu Medici cujusdam experientissimi heic tentare vellet, Excellentissimum, ac felicissimum Practicum, Dn. D. Möllerum, constitutum Electoram Chirurgiae Professorem Extraordinarium, consilii petendi gratiâ extremo dicti anni autumno accessit, qui crure patientis me præsente in ædibus suis diligenter inspecto & explorato, ad amputationem hoc tempore procedendam minimè consultum, sed eam in ver subsequens extrahendam esse judicavit. Tumorenim ultra genu assurgebant, corpusque variis erat refertum impuritatibus. Interea temporis tum externè tum internè adhibenda & præscripsit, & de suis, remunerationem à Deo exspectans, liberaliter communicavit. Incipiente autem vere proximè lapsi anni, miser hic patiens monstrosi sui cruris

A 2

per-

pertusus, ad sectionem valde urgebat, atque *Excell. Dn. D. Möllerum* crebro interpellabat, adeo, ut hic tandem diem 22. April. styl. n. operationi definire cogeretur. Ut hic adventavit, praedictus Chirurgus à me, haud invito, precibus obtinuit, ut instrumentis igitur cæterisque ad opus faciendum necessariis, ritè diligenterque dispositis, ac præparatis, cum Deo ad præcitionem membrī, præsentibus jam laudato *Excell. Dn. D. Mölleru*, & *Cl. Dn. M. CHRISTOPHORO KRIEGERO*, Med. Candidato, Schola Cathedralis ConRect. Dignissimo, aliisque inter VIII. & IX. nos accinximus, & postquam ægrī, cardiaco, & restorativoroborati, cutis, & caro sana à viro robusto sursum attracta, & in cavitate poplitis pulvillus, oxycrato madefactus, impo-situs fuisset, supragenu laqueo, non ita lato, sed fortis, validam institui ligaturam, quo facto, & loco, ab *Excell. Dn. Chirurgie Professore* priūs carbone notato, membroque decenter, prout res ferebat, situato, cultro falciformi, quām festinantissimē, & dexterimē totam circumquaque carnem, validissimē persci-di, ac deinde μαχαιρίδα σηδειδη, intra tibiam & fibulam inse-rui, pōst Chirurgus, serrā quidem ossa, sed irrito successu di-dere conabatur. Ea enim in debilissima sui parte admota, & à valido pressu incurvata, reciprocari non poterat, adeo, ut bonus hic vir ab opere desistere cogeretur. Cùm autem ma-nubrio arcuato inserto à me alio serræ folio, Cheirurgus meis monitis, rectam ut adhiberet χειρίζειν non obsecundans, eun-dem videretur errare errorem, ne patiens hæmorrhagiâ pe-riret, jussu Experientissimi Domini Praeceptoris, ego quām fel-i-cissimē, & absque ullo negotio, divinâ fultus gratiâ inutile membrum amputavi: pōst, quatuor suturis oppositis cutis fimbrias transfixi, ac vinculo supragenu laxato, ad se invicem adduxi, nodoque Medico firmavi; tum scutellam ex stuppa-

canna-

cannabina confectam, & pulvere restringente, cum albumine  
ovorum imbuto, repletam & superimpositam, mediante cru-  
ciatâ fasciâ detinui, & tandem his omnibus, vesicâ bubulâ su-  
perinductâ, applicatoq; femori defensivo, decenti fasciatione  
ad inguen usque membrum deligavi. His peractis, patiens  
reponebatur in lectum, & vulnerata pars apposito collocaba-  
tur situ. Superveniebant ex nimio, ex errore Chirurgi, san-  
guinis profluvio, Oscitatio, Pandiculatio, Singultus. Adhibe-  
bantur tum internè, tum externè medicamenta Cardiaca, Spi-  
ritus confortantia, & augentia, & per intervalla paucum vini.  
Horam circiter XII. corripiebatur vomitu, cum magna con-  
cussione corporis, unde sanguis iterum movebatur, quem ta-  
men ego & Chirurgus præsentes, novâ superinductâ fasciâ fa-  
cilè inhibuimus. Ex hoc reliquis diei horis languida mem-  
bra sopore levabat. Circa IX. vespertinam, propinavi ipsi ex  
præscripto *Excell. Domini Praeceptoris*, bolum sequentem:  
Recipe, *Conseru. rosar.* 3*lb*. *Conf. hyacinth.* 3*lb*. *Magist. Corall.*  
*C. C. ā gr. XI.* *Terr. sigillat.* gr. *vij.* *M. F. Bolus.* Horā à media  
nocte primâ assumebat à Chirurgo, ex præscripto Dn. D. MÖL-  
LERİ, hunc pulverem: Recipe, *Magist. Corall. C. C. ā gr. XV.* *Be-*  
*zoar. Orient* gr. *vij.* *Terr. sigillat.* gr. *iiij* *Misc.* Totam noctem  
quietus transliebat, interdum tamen imago præcedentis ope-  
rationis, per quietem ipsi oblata, somnum interrumpebat.

Die XXIV. April. horā VI. maturinâ idem pulvis repeti-  
tus est. Omnia bene, omnesque actiones ex lege naturæ se-  
habebant, adeo, ut ipse æger, jam omnia in vado esse pronun-  
tiaret, & de instituendis in peregrinas ligneo crure regiones  
itineribus verba faceret, deque amputata parte, quam sibi duo-  
bus prioribus diebus renata fuisse, nunc vero iterum eva-  
nuisse, jocularia funderet.

Die XXV. Aprilis manè patientem invisens, omnia in

optimo inveni statu, ac cum Chirurgo, ad primum subsequente vespera renovandum apparatus, modò Excellentiss. Dn. D. MÖLLERUS consentiret, conspiravi. Absentibus vero nobis, & securis præsentibus, æger vitibus suis planè recuperatis, ut ipse me postea confitebatur, nimium fidens, non tantum contra severum interdictum, sauciatum membrum modò index tram, modò in sinistram transtulit partem, sed & superiores, femori inductas fascias, religavit, unde horam circiter XI, hemorrhagia magna excitata, quam ego & Chirurgus accersiti, novo apparatu iterum sedavimus. Suboriebantur Pandiculatio, Oscitatio, Motus convulsivi, Singultus, Vomitus, Viresque valde prosternebantur. Reficiebatur tum internis, tum externis medicamentis spiritus augentibus, & corroborantibus, atque in potum ipsi concedebatur per intervalla haustulus vi ni. Excellentissimus Dn. D. MÖLLERUS ordinabat tale: Recipe, Conserv. rosar. 3iiß. Pulv. Bol. armen. Terra sigill. vera & 3ij. cc. 69 gr. xij. M. F. Boli N°. iij, deaur. Sgr. Also fort mit geordnetem Wasser einzunehmen. Recipe, v Plantag. rosar. à 3iiß. + rosar. 3ß. M. Sgr. Wasser die Bolos damit einzunehmen. Bolis his circa secundam pomeridianam assumtis, componebat se ad somnum. Noctem sequentem habebat satis quietam.

Die XXVI. Aprilis Mane de magna siti & lassitudine querebatur, unde ipsi pro potu concedebatur vinum, cum æquali portione cerevisiæ secundariæ, & ad gratum saporem, Sp. Oli dulci mixtum, cum quo etiam per intervalla sequentis pulveris 3ij assumebat: Recipe, Terra sigillata vera & 3ij. Sanguin. Dracon. ex lacryraa, mumia transmar. C.C. usi, coagul. leporin. vel vitulini à 3ij. F. pulvis b.m. Omnia transducebantur in melius, Viresque recolligebantur. Noctem, quæ hunc excipiebat diem, quietus, ad horam usque secundam, consumebat, ubi, cum suppositas vesperi sauciato membro culcitas, in somno removil-

movisset, atque se extra lectum commisisset, novus iterum sanguinis concitatus est fluxus, quem Chirurgus, in proximo conclave pernoctans, restinxit quidem; attamen cum famæ suæ metuens

Die XXVII. Aprilis mane, patientem ob admissa errata acriter objurgaret, dirisque devoveret, hunc, naturâ in iracundiam inclinatum, valde perturbavit, unde sanguis ita commotus, ut omnes superinductas penetraret fascias, nullisque adhibitis remediis sitti posset, ex quo varia suscitata Symptomata, & tandem, horam circiter tertiam pomeridianam, Mors, ultima scilicet linea rerum!

Qualis autem morbi membra, quod post amputacionem decem librarum pondus æquabat, nec amplius teterrimæ exhalationis odore, quod multi mirantur, nares molestè feriebat, constitutio, per curatum anatomes examen, coram Nobiliss. Dno. D. MÖLLERO, & C. Dn. M. KRIEGERO, in ædibus Chirurgi, alterâ ab amputatione die, XXII. sc. Aprilis, institutum, mihi innotuerit, in gratiam curiosi Lectoris unâ cum schemate, quodam addere non gravabor. Cutis erat valde crassa, exterius densa, interius vero rara, quâ, à parte antica, remotâ, innumerus conspiciebatur scrophularum numerus, in inflata, & corrupta pinguedine immersus, figuræ ab utraque parte ovalis, & depresso, coloris ex albo flavescentis. Caro, per quam c. Cl. Glandorio, in Speculo Chirurgorum, c.i. omnes hic intelligo partes molles, spongiosa, & in immensam molem aucta. Ossa in universum omnia medullâ putrilaginosâ erant implera, sed hoc discrimine, ut tibiæ, tarsi & metatarsi paterentur abscessus, digitorum non item. Erant etiam omnia, loco tantum ulceris in tibia excepto, periostio, sed incrassato, & mucilagineo investita. Speciatim vero Canna tibiæ major monstruosam, præ se ferebat faciem, & sive quodam externo, in medio partis ante-

anterioris, quæ *spina* dicitur, ubi ossis, naturaliter se habentis, quasi figura triangularis est, & ita acuta, ut cultri aciem quasi effingat, in duas dividebatur partes, superiorem, & inferiorem, utramque abscessu notabilem. Non à vero aberravero, si inferioris abscessum vocem consummatum; superioris vero inchoatum. Ille enim sinus, medullâ putrilaginosâ refertum, prægrandem habebat, cum insigni exostosi, ulceris, quod unoconsummationis tempore, judicio Excellentissimi Chirurgi M. A. Severini in opere de recondita abscessuum natural. v. cij. spectatur, sede: os ipsum etiam crebrioribus, ac majoribus, pertusum erat foraminibus. Hujus vero sinus erat minor, & rudimenta tantum, futuræ insignis exostoseos, cernebantur, foramina etiam rariora & minora. In partis posticæ dicti ossis medio, decurrebat linea quædam serpentina & acuta, quæ unâ cum utraque laterali, figuram illi conciliabat triangularem, inverso planè naturæ ordine. Canna minor corpus amulabatur quadratum, hinc inde porosa, & variis elegantissimis exostosibus, quarum quædam squamas piscium exactè referebant, insignita. Ossa tarsi & metatarsi pumicosa omnia; hæc quidem minus, ista vero magis.

### Expositio Fig. II.

- AA Abscessus superior inchoatus.
- bb Abscessus inferior consummatus.
- c Sinus dirimens os in duas partes.
- ddd Exostosis ulceris sedes.
- eee Rudimenta futuræ insignis έξοσώσεως.
- f Malleolus internus.
- gg Duo sulci ab errante Chirурgo serrata facti.

Die



Fig. I Deliveat Gus ac-  
quisita mala Conformati-  
tione ei Spina Verruosa  
affectum ubi Centrum  
nolat locum am-  
putationis ~

Fig. II Signal anticam Tibiae  
faciem ~



Fig. III monstraſ posteroem  
Tibiae faciem ~



Fig. III exhibet fibulam cum  
suis exostosibg ~



Johann Gottfried Huppli  
fecit

Die XXVIII. Aprilis, quæ excipiebat diem mortis, cum Cl.  
M. KRIEGERO, & Chirurgo residuam ab amputatione tibiæ por-  
tionem, diligenter cultro Anatomico examinabam, ast omnia  
ferè naturaliter se habentia inveniebam. Dico ferè : Limbus  
enim cutis, latitudine dimidii digiti transversi, spongiosus ad-  
huc erat in parte anteriore, & in ossibus morbidum semen  
relictum videbatur. Lubentissimè quidem totum inspexisse  
cadaver, sed ob loci incommoditatē, & quorundam nauseam,  
id quod anhelabam, exequi minimè valebam.

Atque hæc est eorum, quæ circa morbidum hoc subje-  
ctum à nobis acta sunt, historia: proximum jam est, ut adne-  
ctam ejusdem, eā, quā fieri poterit, brevitate, ΕΞΗΓΗΣΙΝ.

Cum autem juxta Xenophontem in Oeconom. ὁδὲν ὅτις ὅτι  
αὐχενον, ὅτε καλὸν τοῖς αὐθεώποις, ὡς ἡ τοξίς. methodicè & ego hic  
omnino procedam, atque hujus affectūs 1. Notionem. 2. Genus.  
3. Subjectum. 4. Causam. 5. Signa. 6. Media proponam.

1. Nomen quod attinet, Morbus hic ab Arabibus, & Ara-  
bistis vocatur *Ventositas Spinae*. Hujus primus auctor Ebnsina  
esse censetur, uti testatur Cl. Lugduno-Batavus Chirurgiæ Pro-  
fessor, Dn. D. J. van Horne in Mæstixy Sect. ij part. I. §. 32, Et  
quamvis de ratione, quæ modò laudatum Principem, tale  
configendi nomen induxit, non exactè constet, maximè,  
cum ex disparibus, & omnino diversis componatur substanti-  
vis, quod insignem redolere videtur ineptiam, judice Consum-  
matissimo Chirurgo, M. A. Severino, in opere de recond. abscess. na-  
tura, part. v.c.l. Attamen per placet mihi modò laudati Viri,  
præ aliis interpretatio, quam loco citato affert, statuens, quod  
fortasse, per ventositatem, ejus nominis auctor, tumorem œdema-  
tosum expresserit; Videre enim licet, à multis rerum Chirurgi-  
carum scriptoribus, præprimis iis, qui barbaris vixerunt secu-  
lis, Ventositatem esse loco Oedematis: Spina vero dicatur, quia  
os cre-

os crebriter terebratum, & veluti per punctum existat. Quæ  
quam graphicè nostruni, de quo ago, delineent affectum, uni-  
cuique ex præmissis abunde patet. An autem affectus hic, à  
Grajis memoratus fuerit scriptoribus, incertum esse jam lauda-  
tus Severinus, in Præfat. l. V. operis superius citati pronunciat:  
cap. vero XIV. putat, eundem illis sub nomine πενδὼ venire.  
Hippocratem etiam, illum sub ΣΦΑΚΕΛΙΣΜῷ comprehendere,  
in lectione ejus versati mecum non negabunt. Tantum de  
nomine: nunc ad rem.

Hic II. ante omnia de affectū nostri Genere dispicien-  
dum est. Qui receptæ Scholæ placitis insistunt, tria morborum  
genera constituunt: Temperiei sc. Mala compositionis, & solute  
unitatis, seu, ut alii loqui amant, Similarium, organicorum & com-  
muniū. Ad hæc omnes omnino morbos, vel simpliciter, vel  
conjunctione, reducunt. Cùm autem in hoc paciente, non  
tantum tumor p.n., qui vel solus ex tribus his morborum ge-  
neribus, docente Cl. Severino l. I. Synops. Chirurg. p. m. 6. ita com-  
positus est, ut in una eademque parte sensibili eadem reperian-  
tur, sed c. adjuncto ulcere se nobis exhibuerit, haud difficile  
collectu est, affectum hunc, secundūm hos, ad compositorum  
morborum classem, referendum esse. Hermetica verò fami-  
lia, morborum summa genera, ex tribus primis derivat, & mor-  
bos in Θinos, Φeos, & Χiales distribuit: cujus vestigiis insisten-  
do affectum nostrum sub morbis Χialibus collocari debere asse-  
ro. Hi enim dicuntur illi, qui ex seminibus corporeis Θinis, l. Φeis,  
incerta aliquamatrice, vel violenter, vel naturaliter resolutis, me-  
teoricā formā, id est, vaporis l. fumi specie, ad alias matrices defe-  
runtur, & eas pro convenientia, vel dissensu principiorum c. suis  
principiis, variè afficiunt: uti definit, multæ experientiæ Che-  
miater, Cl. D. Kozakius in Anatom. Vitali Microcosmi, c. XXXIII.  
p. m. 196.

B 2

III. Sub-

III. *Subjectum* hujus morbi est *Tibia*, & *Pars* *pes*, cum omnibus partibus integrantibus. Matrix vero principalis, morbidum semen, & mali fomitem continens, sunt *ossa*, ex quibus & *glo* *Theta*ni exhalantes vapores, ad carnosas, jam ante lassas, & vitiatas partes deportati, peregrinis suis malum augmentarunt potentiis. Lassae autem fuerunt partes carnosae, ab occa, annum aetatis aegro agente undecimum, & in agro operibus rusticis incumbente, equosque efferatos domare non valente.

IV. *Causam* hujus affectus proximam quod concernit, in eo omnes, qui de hoc affectu scripsere, ferme videntur convenire, autores, quod sit materia quedam, in substantia ossis, ex alimento superfluo congesta, quæ nec concocta, nec expulsa, ibi manens tumorem excitet: Sed quænam sit illa materia, de eo videoas, quot capita, tot sensus! Princeps Ebnsina accusat humores acutos, os penetrantes, & ipsum corrodentes: quem sequuntur Nicolaus Florentinus, & Joannes à Vigo. Ingrassias levem, halituosamque materiam; Josephus vero Pandolphinus pituitam crassam arguit. Langius, hoc vitium tribuit, purulentis & acribus rheumatum ichoribus, os terebrantibus. Severinus modò sanguinis putres ichores, ut c. X. operis suprà citati; modò humorum excrementitium, crassum, viscidum, pingue, ac putreum, c. aliqua siccitate, & ustione conjunctum, qui ab ossibus, ex multa pingui, & glutinosa seminis portione concalefacta, & exusta constantibus, magno naturæ consensu repit, & ab his, substantiae similitudine attrahitur, ut cap. XII. mali hujus causam ponit. Schultetus planè ad occultas qualitates confudit, atque humorum occultâ, & infensa suâ qualitate, ossa primum citra omnem periostii lassionem, atque doloris sensum corrodentem, & post aliquot menses exulcerantem, accusat. Verum enim verò, cum hæc tam variantes autorum opiniones, satis enucleatae non sint, non est, quod diutius iis immo-

immorer. Recto igitur procedo tramite, ad veram hujus affectus causam, quam, ex limpidis Chemiae fontibus haustam, sic appono, & dico, quod sit semen Thini fixum, in osse fastidens, quod cum ab archao nec subigi, nec expelli potuerit, ibi manens, & ab accedente ossis debilitati superfluo nutrimento, & maximè latice, fotum, radicatum, & digestum fuerit, unde vapores Thio- Thini, à reliquis principiis separati, ad partes vicinas missi, ibi primò tumorem oedematosum, post apprehensā parte Aeà pinguedinis, scrophulas, & tandem ulcus excitarunt. Excellentissimus verò Dn. Praeceptor, de hujus affectus causa sic sentit: Est Tho domesticum partium C.H. constitutivum & conservativum Thiale, de natura & proprietate realgaris & colcotharis participans, quod per violentiam, à reliquis constitutivis principiis, & harmonica sede, in tibia & ceteris partibus adjacentibus, separatum, adeoq; ibidem corrosivum factū, demum putredinem totalem & separationem à vita cauſavit. 1. Dicitur Tho domesticum C.H. constitutivum & conservativum, quia absque eo, uti nulla res naturalis, ita nec corpus humanum consistere potest, quod & anatomia spagyrica demonstrat, dum differentia Thia, sanguinis, carnis, ossium &c. nobis exhibet. 2. Dicitur Tho Thiale, ad differentiam This Ae & ejus operationis, quia in nostro affectu, 1. tumor insignis oedematosus. 2. caro facta spongiosa, & flaccida. 3. pus aquosæ formæ putridum, & venenatum. 4. dolores punctorii adfuere. Et hac omnia adscribuntur Thi Thiali. 3. Dicitur Tho illud Thale participare de natura realgaris & colcotharis, quia ipsorum proprietas est, tumores procreare, & ossa comburere, propter quæ appellatur Tho amarum, & calcinatum Chemicis, exaltatum ita, ut totalem putredinem medullæ intulerit. Scrophularum vero indolorosarum, quæ adfuere, causa fuit Thinc Thialis, ad naturam vegetabilium polypodii, & glycyrrhiza inclinans.

Causa remota est vel magis; vel minius talis.

B 3

3. est

1. est *Contusio prægressa*. 2. *Mala ejus curatio à rusticis medicis, sua experimenta perperam, & contra morbigenium adhibentibus, instituta, unde τὸ μυξῶδες sive mucosum, circa ossa relicum τάπεσέα, ut cum Hippocrate, l. de articulis in medio ferme loquar, νοσηλότερα, οὐδὲ σφακελισμοὺς χεονίους effecit, & procreavit.* *Causam agis remota* 1. est *viteratio, ut inter rusticos accidit, inordinata.* 2. *etas puerilis &c.*

V. *Signa Diagnostica* hujus affectus erant, 1. insignis tumor œdematosus, cum ulcere 2. tibiæ inveterato, in quo 3. caro erat flaccida, & spongiosa, emanabatque 4. pus virulentum, tenui fœtidissimumque 5. specillo statim aspera, & confragosa exostosis tibiæ percipi poterat, sine ullo tensu, vel dolore patientis. 6. His accedebant cicatrices cavæ, quæ aliquot digitorum distantiâ, supra ulceris conspiciebantur, & referente ægro, exulceribus, ante aliquot annos coëuntibus, relictæ fuerant. 7. Patiens conquerebatur de dolore puncitorio, in parte affecta.

*Prognosticum.* Magnum hoc malum, nisi convenientibus tollatur mediis, femur atque superiores brevi tempore occupaturum esse partes, atque sic lentam quidem, sed certam, & inevitabilem, intra paucos annos, cum maxima patientis molestia, illaturum esse mortem.

VI. *Media* quod attinet, cùm curationis cardo, in totali peregrini mali ejectione, versaretur, hoc verò primariò radicatur in osse, ideo ad id tollendum omnis cura dirigenda erat, quod fieri debebat mediis vel *Diateticis*, vel *Pharmaceuticis*, vel *Cheirurgicis*. Sed nec *Diateticis*, nec *Pharmaceuticis*. Non illis, quia ut plurimum vitalibus inserviunt Indicationibus, & si quid medicaminis secum ferunt, id tanti non est, ut fixos & radicatos possint depellere morbos: nec his, quia tempus opportunum, quo medicamentis æger restitui in pristinam potuisse

tuisset sanitatem, neglectum erat, unde variorum frusira & nus-  
locum levamine æger experiebatur, expertusque erat medica-  
menta. Sequitur ergo quòd *Chirurgicis*. Nam juxta effatum  
*M. nostri Hippocratis* sect. 8. aph. 6. Quaecunq; non sanant medica-  
menta, ea ferrum sanat. Chirurgia enim est efficax illa medicina,  
quà, Hercule à quasi manu, ferri ignisq; viribus armatā, cuncta si-  
ve externe sive interna contumaciora mala proteruntur & extin-  
guuntur, judicante Excell. D.D.J. van Horne in *μικρέχνης* proœ-  
mio §. I. Hæc autem perficienda erat hoc in casu, vel *Abrasione*,  
vel *Ustione*, vel *Sectione*. *Abrasio* & *Ustio*, mascula licet remedia,  
in hoc tamen morbo non satis valida erant, quippe qui per to-  
tam osseam substantiam, altiores egisset radices, quàm quæ his  
extirpari possent: restabat igitur *Sectione*, ad quam tanquam sa-  
cram anchoram, ad stipulantibus, modò laudato J. van Horne,  
in *μικρέχνης* sect. ij. p. I. §. 32. & Cl. Chirurgo D. Sculteto observ.  
*Chir.* 91. necessariò confugiendum' erat, atque hoc eò magis,  
quòd tibia affecta, ob continuum, per multos pueritiae, & ado-  
lescentiae annos, ligneicruris usum, malam acquisita confor-  
mationem, & in posteriora vergens, extendi non posset, atque  
sic ægroplanè inutilis, onerosa & molestia esset. Cùm autem  
in operatione hac duo præprimis sint consideranda, *Locus* &  
*Modus*, & circa utrumque, non exiguae inter Clarissimos Chi-  
rurgos moveantur controversiae, non abs re me facturum con-  
fido, si illas paulò pensiculatiūs ad veritatis trutinam exami-  
nem, & liberè meam sententiam, ratione, & experientiā stabili-  
tam, eruditiorbis judicio exponam. De *Loco* duo maximè  
controvertuntur. I. *An amputatio instituenda sit in parte sana,*  
*an vero in ægra?* II. *Si in sana; An in articulo, an sub articulo?*  
Primum quod attinet, nonnulli, quorum Choragogus Celeber-  
rimus Aquapendens, statuunt, sectionem in parte ægra, uno di-  
gito transverso à sana, fieri debere, ob duplicem rationem,  
I. quod

1. quod tum nullus dolor, gravissimorum Symptomatum pa-  
rens, sequatur; nec 2. ullum hæmorrhagiæ periculum me-  
tuendum sit. Sed respondeo, *Duae sunt causæ*, quæ nos ad hanc  
operationem cogunt: *Prima*, omnimoda artuum, vel harum  
partium *vægætatiæ*: *Secunda*, *Spina ventosa*, quemadmodum præ-  
clarè docet sæpiùs laudatus *Cl. J. van Horne in mixegætæ XVII S. ij.*  
*p.ij. §.32.* In *hac* rationes allatæ nihil obtinent. Pars enim  
ægra, æquè adhuc sensibilis est, ac sana, idemq; in illa, quæ in  
hac sanguinis profluvii manet periculum. In *ista* verò consi-  
lum hoc periculosæ plenum est aleæ, quia morbidū semen, in  
portione ægrâ, ab amputatione relictâ, radices spargit ad par-  
tes vicinas sanas, ibidemq; fructificat, quod eō faciliùs fit, quia  
sæpiissimè os ipsum, quod carni subest, altiori in loco est corru-  
ptum, quæm exteriùs cutis indicat. Quod autem hic obverti-  
tur, huic facile occurri posse, auferendo sc. cauterio, vel actuali,  
vel potentiali, morbidas reliquias, nullius momenti est. Hoc  
enim fieri non potest, si securè, absque dolore; vel si absque dolo-  
re, non securè. Non illud; quia tum plura profundè urentia, &  
ad sanam partem penetrantia cauteria sunt adhibenda, unde  
maximus excitatur dolor, ad quem tamen evitandum lectio in  
parte ægra, ut ex antedictis liquet, instituitur: *Nec hoc;* quia  
cauteriis, ad sanam usque partem non pervenientibus, putri-  
dū virus, sub crux à cauteriis inducta, relinquitur, à quo ele-  
vati vapores ad partem sanam, eam peregrinis suis tingunt po-  
tentiiis. Deinde etiam non est necessarium, ut ad evitandum  
dolorem, & sanguinis fluxum, in parte ægra amputatio fiat: stri-  
ctâ enim ligaturâ pars rescindenda torpida redditur, ut æger  
minùs sentiat dolorem, & vasa non multùm sanguinis effun-  
dant, maximè, si hæc cauterio urantur. Et denique esto, quod  
in parte sana præcisio majori cum dolore, & hæmorrhagiæ pe-  
riculo fiat! quia tamen non tantum jucundè, sed & tuto omnis  
cura.

curatio instituenda est, præstat, ejusmodi periculum subire, cum certitudine superati mali, quām illud detrectare, cum formidine recidivæ, à qua certius periculum manet, quām vel à dolore, vel ab hæmorrhagiâ.

*Ad secundum.* Cūm ex dictis elucescat, locum amputationis optimè eligi in parte sana, videndum est, an illè satis commodus sit in ipso articulo, ut multi ex recentioribus duce Cl. Bartholomæo Maggio, eruditione in re Medica nulli chirurgorum secundo, censem? Rationes illorum hæ sunt: 1. Sectio in ipso articulo est facilior, sed requirit expertum Chirurgum. 2. Non est vel magis, vel adeo dolorosa, ac ea, quæ sub articulo. 3. Non sit magna sanguinis fluxio. 4. Non denudatur medulla, unde cicatrix non tardè admodum, nec difficulter inducitur. Sed hīc sciendum, quod locus hic in omnibus partibus non possit admitti. In artubus enim superioribus, si malum usque ad articulum non adscendat, sectio in hoc loco non est instituenda, quia semper in illis, tantùm sanæ partis, quantum fieri potest, relinquendū est. Id quod etiam in artubus inferioribus, malo ultragenu assurgente, probè observandum. Intibia verò operatio hæc non usquequaq; est repudianda. Quod autem communiter, ubi vis ferè locorum, in praxi contrarium observetur, sit ob difficultatem, quæ in ipsa sectione occurrit. Chirurgi enim in hac *χειρὶ* non omnes àquè exercitati, non tam promptè locum conjunctionis duorum ossium, invenire possunt; hinc sub articulo potius faciunt sectionē, proximè tamen ad portionē ægram, spatio unius digiti transversi: tibiam verò, si malum sit supra malleolos, prope genu tribus, quatuor vel quinque digitis auferunt. Cūm enim deinceps æger ligneo crure uti debeat, commodius est, magisq; ad ornatū facit crus breve, & non procul à genu amputatæ, quām à posterioribus longè protensum. Hæc de loco amputationis: Sequitur Modus.

C

Hic

Hic apud Chirurgicos scriptores reperitur quadruplex.  
I. Aquapendentinus, quem, cùm in parte ægra instituatur, & ab omnibus, quos ego quidem, Cl. Scultetum si excipias, evolvi, vel neglectus, vel explosus sit Chirurgis, suo auctori relinquam. II. Maggianus, quem antiquè laudatus Bart. Maggius lib. de curat. vuln. sclopetorum hunc in modum tradit: Carnem & cutem, super articulo existentem, a ministro sursum trahicura, tum in articulo absinde, indè vasa sanguinem fundentia ure, sed non adeo profundè. Post cutem, antea sursum attractam, deorsum sub articulum trahē, & cutis oras quatuor suturis firmis sub articulo necē, sic articulus à carne commode tegitur. III. Botallianus, quem Cl. J. van Horne in sua Muegriæ Sect. i. part. I. §. 21. sic describit: Fiant duæ columnæ ligneæ, ponderoso cippo infixæ, & utrinque per longitudinem interius sulcate. In inferna parte cippi infixus sit firmiter latus culter, acie suâ sursum spectans, & alterius cultri, per sulcum mobilis, aciem sibi oppositam habens. Ilbi detruncandum est membrum, superior ille culter, plumbo oneratus è superiore parte descendit, aut malleo gravi adactus carnem simul cum osse secat. Hic tamen animadvertisendum, brachium & crus apposito, si sub cubito & poplite membrum amputandum, collocari debere situ, quod amputatio commodè fieri possit. Cùm enim os ibi geminum sit, unum non stet super alterum, sed utrumque jaceat à latere alterius, & æquè propinquum sit aciei cultri inferioris, ut simul, non autem unum post alterum, amputentur. Hæc amputandi ratio, hanc tantum habere videtur difficultatem, quod sc. carnis contusio, & ossium comminutio fiat, unde non pauca oriri possunt incommoda. Sed Respondetur: Nullam fieri contusionem, si acies cultorum acutissimæ sint, & fibi mutuò exactè oppositæ. Ossium etiam confractio non est magni momenti; fragmenta enim facile arte extrahuntur, vel à natura rejiciuntur. Plura de hoc modo, qui volet, adest Cl. Leonardum

dum Botallum l. de vulnerib. Sclop. c. 23. & Exc. Th. Fienum de Præci-  
puis Artis Chirurgice & controversiis tr. XI. cap. X. IV. Denique  
Ordinarius & Antiquorum, quem & nos in nostro paciente adhi-  
buimus, & ejus descriptionem in historia suprà posita dedimus.  
Interim monendus est B. L. hunc modum ab omnibus chirur-  
gis non observari uniformem, id quod ex Celsø, Paræo, Fabricio  
Hildano, Fieno, J. van Horne aliisque patet. Etego, ut verum,  
fatear, non æquè per omnia probo, quæ hic à memeti po in xer-  
eξi amputationis adhibita sunt. Nam, jam ante eam institu-  
tam, cauterio actuali à præcisione ossis, ad vasa inurenda uten-  
dum esse statui, quia hoc majori securitate conjunctum est.  
Nec amplius hæmorrhagiæ, quæ palmaria dissentientium vi-  
detur esse objectio, periculi metus est, modò escharæ bona ha-  
beatur ratio, & curetur, ne præmature decidat, detrahaturque,  
non tam medicamentis putrefacientibus quam siccantibus, &  
detergentibus. Suffragatur mihi Cl. Fienus, de precipuis artis  
Chirurg. Controversiis tr. XI. c. VIII, & Excell. Dn. D. Möllerus,  
Præceptor honoratissimus, qui tum ante operationem, Chirurgū  
cauteria in promptu habere, sic & in ipsa, eadem admoveare ju-  
bebat, quod tamen ab eo, Ambrosii Paræi, & aliorum, imò ut di-  
cebat, aliquoties iteratæ suæ experientiæ fidente negligebatur.  
Deinde etiam methodum, quā, quatuor suturis oppositis, ex-  
trema cutis, acu & filio traducto contrahuntur, & ad se addu-  
cuntur, rejicio. Quorsum enim opus est, verba sunt sæpiùs lau-  
dati Excell. Chirurgie Profess. D. J. van Horne in μηχανική Σect. II.  
Part. I. §. 32. agrum non profuturis carnificinis excruciare? Longè  
felicius, pergit, absolvitur curatio, si fungum illum, quem crepitum  
lupi, vulgo Bodyst appellant, in usum ducamus: nimirum ut in spa-  
tio intra duo ossa medio, portiunculas ejusdem, pulveribus sangu-  
inem sistentibus plenas & albumine ovorum madefactas, applice-  
mus, imò, ex eodem fungo excavato, veluti scutellam conficiamus,

pulvere stegnotico repletam, cui tunc extremitatem membra immittamus, &c. Quod autem hæc hic sint à me neglecta, factum est, quia ante operationem Chirurgus nullis poterat eò deduci rationibus, ut alio, quām factum est, modo, amputationis processus institueretur, quem non tantum multi alii, sed & ipse me repetitis vicibus felicissimum ac probatissimum deprehendissent. Ne igitur, si quid humanitùs ægo accideret, in me, ob laudati sui amputationis modi neglectum, derivaretur culpa, sancte illum observandum esse statui, præprimis cùm & Celeberrimi, & gravissimi quidam, non aliter sentiant autores, & ego non semel tantum felici cum successu, talem operandi modū institutum esse observaverim. Cætera, ut mentem meā de hoc ordinario modo plenè explicem, quæst. quædam proponendæ sunt, quarum prima: *Quinam sint in hac similiue ἐγχειρουιδonei Operantis Chirurgi ministri?* Respondeo cùm Cl. J. van Horne in Mixegtevyn Sect. i. p. I. §. i. Non famuli tantum atque discipuli, sed & adstantium quilibet, modo sint apti, manum operanti Chirugo præbere, aut instrumenta, prout usus postulaverit, eidem ad nutum porrigere. Secunda: *An in hac, similiue operatione, membrum semper secundūm communem Practicorum modum & morem debeat firmari?* Respondeo Neg. Quilibet enim Chirurgus, ut habet canon Generalis, se accommodet corpori tractando, & manum non stringat ultra jucunditatem, nec negligat ultra necessitatem, nec removeat ultra securitatem, sic jucundè, sic citò, sic tutò tractabit ægros. Hinc etiam est, quod Serenissimor. Hassiae Principum Medicus ordinarius, & Chirurgus primarius, Celeberrimus D. Volradus Huxbolius, p.m. in dictatis mibi Notis, ad præludia Chirurgicæ disciplina, Viri incomparabilis, M.A. Severini, moeat Chirurgiæ Studiosum; Nefidat in χειρὶς cuilibet artifici, χειρὶς enim certa, nec addisci, nec exerceri potest, inconsiderata humani corporis partium conformatione. Malè igitur agunt,

agunt, qui in omni fractura tibiæ rectis utuntur ferulis, quoniam multi inveniuntur valgi & vari, quorum ossa fracta, non rectis, sed incurvatis continentur reducta. Malè agunt, qui tibiæ in posteriora porrectam, & immobilem, eodem modo ac illam, quæ ad omnem sibi debitum motum adhuc apta est, fulcire præsumunt. *Tertia: An Chirurgi error, in amputatione commissus, sit adscribendus Serræ non bona?* Resp. quod non. Illam enim satis superque fuisse bonam, nec exinde quid sinistri, in operandi actu accidere potuisse, nullus, qui mecum illam ante operationem oculis obivit, negare potest. Quod autem incurvabatur, non suâ, sed operatoris eveniebat culpâ. Ecquis ideo illam non bonam fuisse statueret? Instrumenta enim sunt agentia dispositivæ, ad virtutem videlicet principalis agentis, quâ bonâ bene, quâ malâ male. Sanè si bonus iste vir *χειροξίν* illam, quam in *Disquisitione mea, de Vulner. Scloporum*, publicè in *Illustri hac Albertina ventilata*, §.XXXI. notavi, observasset, nunquam tam crassum errasse terrorem, in quem etiam omnes illi facilè prolabi possunt, qui, ut communiter patrio loquuntur sermone, den Knochchen abstohßen wollen. Verbum enim abstohßen / vi significationis suæ actionem denotat, quæ fit apud ossi extremâ, & longè à manu remotâ serræ parte violenter protrudendo. Actio certè, ut communissima; ita parum bona, parumque felix, teste experientiâ, suffragante ratione. Nam hoc procedendi modo, serra maximè debili, & fragili sui parte ossi dividendo admovetur, quæ cum sit valde acuta, tenuis, & ponderosâ arcu manubriati mole urgeatur, facile quid damni, præprimis, si violenta Chirurgi manus accedat, contrahere potest, ita ut vel frangatur, vel incurvetur. Accedit & hoc, quod sic præpostorè, & violenter operando, non tantum linea in osse tuto-jucunda, (per quam intelligo sulcum, qui serrâ in divisione ossis, quam proximè carnem portionis

ab amputatone relinquendę, ad angulū & qualem producitur,) observari non possit: Sed & archæus, ex magna & totum corpus perreptante concussione, magis furibundus reddatur, & multæ ossis squamulæ procreentur. Ex quibus patet, quantis, hæc operandi via, stipata sit incommodis, ad quæ evitanda, optima est sequens os præcidendi ratio, quando serra in robustiore sui parte, quæ proprius manum est, ossi adhibetur, & brevissimis ductibus tankisper adducitur, & abducitur, dum rimulam, lineę tuto-jucundæ principium, fecerit, post absque violenta manu longi instituendi sunt ductus, hæc cautelā, ut serra in parte robusta, & robustissima fortiūs; lenius verò imò lenissimè, maximè abducendo, in debili & fragili urgeatur; Sic absque ullo negotio, cum operantis Chirurgi honore, & patientis emolumento, os præcidi, & linea tuto-jucunda observari potest. Sed de his satis!

Antequam verò Disputationi huic colophonem imponam I. Breviter perstringendus est, alter Chirurgi error, quod intempestivè ægrum corripiendo, irà accenderit, quæ omnium perturbationum atrocissima, & fœcundissima infinitorum malorum mater est, judicio *Principis Germanorum Chirurgorum, Fabricii Hildani, Cent. I. Observ. XVIII.* Dico intempestivè. Quamvis enim justa subesset causa, patientem hunc de iterato objurgare errore, attamen hoc tempore, cum vix cohibitus esset sanguinis fluxus, verbis asperis, & injuriosis minimè conveniebat, maximè, decoctâ à Chirурgo, per operationis errorrem, ægri confidentiâ, quemadmodum hic ipse *Excell. Dn. D. Möller*, se invisenti, lachrymabundus conquestus est. Probè ergo observent Chirurgi, quod *Cl. Tagaultius in moribus Chirurgi* ponit, ut sint comes & affabiles erga laborantes. Omnes etiam ingenii vires in id intendant, ut comparent sibi fiduciam quæ speciale arti nostræ robur adjicit, & non incommode altera manus practica dicitur. *Illa namque in causa est*, dicente *Excell.*

Excell. Dn. D. Linckero in Centum suis thesibus, de Officio Medici,  
th. LXVI. ut & eger erectioni sit animo, & magnam spem in exhibitis  
remediis ponat; quod quam necessarium sit, ut curatio ex votis  
expleatur, quotidiana testis est locupletissima experientia.  
II. Duæ quæstionis restant enodandæ. Prima: quid subsit cau-  
sæ, quod patienti nostro, duobus prioribus diebus visum fuerit, sibi  
crus amputatum fuisse renatum? Respondeo, hoc factum fuisse ob  
ideam spiritui astrali, seu Archæocorporis universali, à perturbationi-  
bus, præprimis in somno, impressam, quæ cum hic fuerit non adeo pro-  
fundè sigillata, ac in illis subjectis, quorum Paræus l XI. cap. XVII. facit  
mentionem, quæ & aliquot ab amputatione mensibus, membrum ab-  
scissum sibi adhuc dum dolore, conquesti fuerant, ideo etiam breviori  
temporis spatio fuit oblitterata. Minus autem vel magis profundi sigilli  
causæ sunt, perturbationes minores vel maiores, & de his cogitationes  
minus vel magis constantes. Secunda. Quare ulcus in tibia affecta  
ante amputationem tam odiosam exhalaverit mephitim, post eam verò non  
item? Respondeo: illud adscribendum esse præsentiaæ Archæi, hoc vero  
ejusdem absentiaæ. Hic n. ut omnino omnium in corpore nostro, sive  
bene sive male constituto actionū gubernator; ita & in ulcerosa hac ti-  
bia, ex digesto se peregrino, corporeo, fixo, & iale separavit, & in auras  
elevavit, quod nates feriens molestissimo affecit odore; eo n. post am-  
putationem à morbido crure separato, principia peregrina sibi relata,  
sopita manserunt, planè, quemadmodum simeta, quamdiu intacta ma-  
nent, nullum ferè gravem exhalare solet, quam primum a. agitantur &  
vene sufflante movetur, molestissime odoratūs organū afficeret, videm⁹.

Colophonis loco notandum est, quod nos, curationem vulnerato  
membro ex artis præceptis adhibitam, bono cum DEO explevissemus,  
modò patiens ipse, se non iteratò in easum dedisset, nec sibi exitium ac-  
celerasset. Nec obstitisset ieminum, ut in historia dixi, in ossibus reli-  
ctum; hoc enim si non uestione, certè, vero hujus morbi πίγοτι μω, omni-  
bus, qui de hoc affectu scripserunt, auctoribus ignorato, Arcano sc. Ca-  
tiblico, ex Pharmacia Chemica elevata petito, eradicassemus. Et tantum  
est, quod de affectu hoc maximè gravi & contumaci proponere debui,  
quæ, quum rudi tantum sint delineata penicillo, in peculiari quadam  
Δαρεὶβῃ, si Deus vitam, & vires concederit, vividioribus depingam  
coloribus. Tu interim, Benivole Lector, fave & vale.

**D**editus à puero studiis, POETTERE, secundum  
Conaris medici pandere Templa Sophi.  
Nec male. Nam Doctum, Tibi quem commendat Apollo,  
MÖLLERUM sequeris, grande Decus Charitum.  
Pergito! Sic meritæ paries encomia Famæ,  
Et Patriæ sedes præmia grata dabit.

*Cd. Dno. Pættero, Amico suo præcatoris  
dilecto, apposuit*

MARTINUS CHRISTOPHORUS Frensdorff/  
Schol. Elect. Reform. Rector.

### Madrigal.

**E**n Pötter kan zwar gute Pötte drehen/  
So doch zerbrechlich sindt;  
Mein Pötter/ du läßt was beständiger  
In diesem Kunst-Blat sehen/  
Und bist gar hoch gesinnt;  
Weil dich aus bestem Thone/  
Der Titan selbst zum Castalinnen Sohne  
Gebildet. Drumb so eyle fernier fort/  
Zum höchsten Ehren-Port;  
So wirstu dann mit sonderm Ruhm bestehen/  
Wenn Dich einst wird dein Fürsten-Haus erhöhen.

Pötter d.i. ein  
Töpffer.

Johann Georg Vetter /  
von Gaudishin aus Oberlaufnitz/  
der Rechten Beslissener.

**T**am bene conveniunt hec, Chirurgia, Chymia:  
Quam bene conveniunt, Arte levare luem.  
**I**lla Ars est sine qua Medicus, nil arte medetur;  
Nam non est Medicus, qui Medicâ absque manu:  
Hujus qui dulces rivos recte imbibit artis,  
Delicias geminae combibit artis aquas.  
**H**inc POETTERE Tibi laus est, si credis amico,  
Præside MÖLERO posse probare Tua.  
**E**rgo fama, Tuos sonuit quæ parcius ausus,  
MÖLLERI post hac buccinet ære magis.

Pættero suo apposuit

MARTINUS PAPA, Neo-Sedino-Pomer.  
L.L. Stud.

Chirurg. 279, 27